


05

A

568







*Disputatio AntiGesauvuitica*  
*quinta*

# DE VERBO DEI SCRIPTO.

*Contra mendaciorum Mulmanni-*  
*corum speculum, à Iohanne Mulhusino*  
*D. Apostata, fabrica-*  
*tum.*

P R A E S I D E

M. IOHANNE MVLMAN-  
NO S.S. Theologiae Professore  
& ad D. Nic. Archidia-  
cono Lips.

R E S P O N D E N T E

M. IOHANNE FECHNERO  
Glogov. Silesio.

W I T E B E R G A E

Excudebat Iohan. Schmidt, Sumptibus Cle-  
mentis Bergeri Bibliop. Anno 1608.





VIRIS CLARISSIMIS,

*Reverendâ dignitate, multiplici rerum cognitione, singulariq; humanitate praestantissimis.*

Dn. GEORGIO VVEINRICHIO SS. Theolog. Doctori ac Professore in Academia Lips. fidelissimo, & Ecclesiae Christi ibidem Superattendenti dignissimo.

Dn. ERHARTO LAUTERBACH. SS. Theol. Doctori, Praesulatus Numburgensis Cizae Superattendenti vigilantissimo.

Dn. M. CHRISTOPHORO QVARTO, Ecclesiae Dei, quae Augustanam Confessionem Glogoviae in Silesia proficetur, Pastori diu benè merito.

NEC NON

*Prudentiâ, Virtute & Integritatis laude conspicuo Viro.*

Dn. GEDEONI HANEMANNO, Civi & Mercatori Lipsiensi primario, eiusdemq; Reip. Senatori praecipuo.

*Dominis Praeceptoribus, Fautoribus, Promotoribus ac Mecenatibus suis unice colendis*

*Disputationem hanc observantia debita & grata mentis testimonium offert*

M. Iohannes Fechnerus Glog. Sil.  
Respondens.



# DISPUTATIO QUINTA.

προβολῆς mendacij octavi,

## THESIS I.



*Ergunt Moguntini.* Mentitur octavo  
(*Mulmannus*) Moguntinos lect. s. th.  
7. Verbum DEI scriptum insaniam cau-  
sam appellasse, (lit. B. 2 pag. I.) quod  
mendacium cap. 12 valde amplificat.

Non audio, inquit, homines, sed dia-  
bolum ipsum, & si quid diabolo peius est, divinam sa-  
pientiam convitari. Sed, inquam ego: non audio hic  
hominem quendam sed diabolum ipsum, & si quid  
diabolo peius est, mentiri. Nihil tale fuerat absolute  
dictum: sed hoc: verbum scriptum & κατὰ πάντος, καὶ  
αὐτὸ & καθόλου πρῶτον (quo vos insulsi disputatores di-  
vinas tabulas, inaudito haecenus in Ecclesiis vel ore te-  
nus saltem Christianorum, modo, ad vertiginosas ve-  
stras & vanas Chimæras exigere vultis & examinare Spi-  
ritum sanctum) impressum. Vos (non omnes) Pau-  
latim, redigere ad insaniam: si ut cœpistis, pergatis,  
quod non opto; experiemini. Iudicabunt idem pro-  
dentiores, qui pro Suffeno iā Mulmannum agnoscunt.

ἀντιβολῆς.

II.

*An Mulhusinus convitium in S. Scriptuream dixerit  
restabuntur hæc quæstiones. 1. An Verbum Dei Gesauvviis*



fit causa insania? 2. An sacras tabulas ad leges Apodicticas  
exigere velimus? 3. An velimus ad eadem Spiritum  
sanctum examinare?

## QVÆSTIO I.

An Verbum Dei Gesauvuitis sit  
causa insania?

### III.

Respondet se non absolute locutum esse, sed quod verbum  
scriptum & impressum nos redigat paulatim ad insaniam.  
Ita habebunt Pontificij triplex verbum. 1. Verbum pronun-  
ciatum. 2. Scriptum. 3. Impressum.

Nota tri-  
plex Ver-  
bum apud  
Gesauuitas.

### IV.

Cujus vero tu putas esse verbum scriptum & impressum?  
Nonne DEI Verbum est & manet aequè ac predicatum voce  
viva, quandoquidem scriptio ac impressio nequaquam Ver-  
bum Dei mutare possunt? Neque te excusat id, quod impres-  
sum Verbum paulatim nos ad insaniam redigere dicis: ita  
enim tu paulatim convitiaris Verbum DEI sanctissimum,  
donec tandem in perfectum divina sapientia calumniatorem  
abeas.

### V.

Præterea quis nostrum dixit, Verbum Dei esse κατὰ πάν-  
τος, καὶ αὐτό, ἢ καὶ δόλου πρῶτον impressum? nemo, nemo in-  
quam, mendacium est, calumnia est: sed utrum Verbum Dei  
κατὰ πάντος, καὶ αὐτό, ἢ καὶ δόλου πρῶτον, sit veritatis Nor-  
ma in Articulis fidei, hoc quaero, parum curans, me deliranti  
Apostatae ideo insanum videri.

QVÆ-

## QVÆSTIO II.

An sacra tabulas ad leges Apodicticas exigere velimus?

VI.

Irrogat etiam nobis hanc culpam Moguntinus, sed egregie mentitur. Aliud enim est Sacram Scripturam ad leges Apodicticas exigere: aliud est legum Apodicticarum usum sobrium & legitimum in Theologia ostendere. Hoc spectat ad τὸ πρῶτον τῆς ἀποδείξεως, illud videtur aliam veritatis Theologicae Normam ipsis sacris literis priorem obtrudere.

VII.

At leges Apodicticae non sunt Norma ad quam sacras tabulas exigimus: (est enim Scriptura ipsa teste Chrysoft. hom. 13. in 2. Cor. αὐτῶν τῶν ἀποδείξεων ἢ γυνώσκων ἢ καλῶν) sed sunt generales conditiones omnium principiorum vel causarum ad Demonstrationem pertinentium.

Leges Apodicticae non evertunt propria rerum principia.

VIII.

Vt enim Physicus suis principijs illas accommodat, nec tamen ea propterea à Logico mutuatur: Ita Theologus propria retinet principia, & eandem veritatis Normam, licet conditionibus Apodicticis ad declarandam eorum rationem utatur. Quo nomine nos omnes vertiginosas & vanas chymeras ex scholis & templis nostris eiectas, ad Pontificij scrinij ἐξερευματα, ad mortuorum spectra, & Purgatorij larvas relegamus.

ab Exemplo.

## QVÆSTIO III.

An velimus ad conditiones Apodicticas Spiritum sanctum examinare?

A 3

Impudens

## IX.

Impudens hæc est & atrox calumnia, cum insigni blasphemia  
& asinina inscitia coniuncta. Cum enim ego nullibi non hanc  
propositionem veluti primum scopum urgeam: Verbum  
Dei scriptum est unica Norma veritatis: ad quam omnes  
questiones fidei sunt examinanda tantum: concludit hinc  
meritus Asinus: Ergo Mulmannus vult Spiritum sanctum  
examinare. Digna mehercule consequentia, ob quam omnes  
disputatores Mulhusino coronam lauream unanimi suffragio  
imponant.

## X.

Vt autem benevolus lector rectè meam mentem percipiat,  
distinguo semper inter Principia, eorumque conditiones ge-  
nerales, quas si Normæ convenire, adhibitis terminis arti-  
ficialibus, præter rerum & materia iacturam, ostendo, nemi-  
ni nisi planè insulso Papicola, videbor Spiritum sanctum exa-  
minare.

## XI.

Exempli causa si dico: Verbum Dei est Norma Fidei κατὰ  
τὸ αὐτὸς, καὶ δὲ αὐτὸ, καὶ δὲ ὅλας τῶν πρώτων, idem dico ad verbum Dei  
est vera, prima, immediata & proxima, atque adeo sola Nor-  
ma Fidei. Quis hisce terminis putet Spiritum sanctum exa-  
minari?

## XII.

Sed perquam commodè huc referri potest illud à Mulhasio  
no in præfatione contra me usurpatum:

Væ tibi tu nigra dicebat cacabus olla.

Vos enim estis illi examinatores Spiritus sancti, qui divinam  
Scripturam eius inspiratione genitam, tamquam exanimem  
& mortuam literam, ad Pontificij cerebri vertiginosas &  
vanas Chimeras exigitis: nihil verum ratumq; relinquen-  
tes,

Ἀντίκλημα  
μα.



res, nisi Romana bestia libidinoso arbitrio confirmatum  
sit.

προβολή mendacij noni.

XIII.

Mentitur Mulmannus nonò. Tertulliano (scet. 2. rh. 22. citato) adversus gentes cap. 47. & de velandis virgibus cap. 1. & de præscript. cap. 13. & 14. Regulam fidei idem esse quod verbum scriptum. (lit B. 2. pap. 2.) mendacium est, inquam, si Mulmannus loquitur de Verbo scripto. Tantum, de hoc enim est quæstio.

ἀντιβολή.

QVÆRITVR.

An Verbum scriptum tantum sit Tertuliano Regula Fidei?

XIV.

Nos non affirmamus nudis verbis, sed addimus gravissimas ac ponderosas probationes. 1. Quia Tertullianus non nisi ex Verbo Dei scripto articulos Fidei recitat. 2. Illos dicit Normam omnino unam: at una non manet, si accedunt traditiones Ecclesie. 3. Quia Regulam fidei appellat immobilē. 4. Quia legem fidei vocat, quam Paulus Canonem dicit Gal. 6. intendens articulo τῷ κανόνι τῆς πίστεως velut digitum in Epistolam suam, quæ non est nisi Verbum scriptum: modo non Pontificij Epistolas nonnullas Pauli depromere possint, quæ nunquam scriptæ extant.

XV.

Quomodo Moguntini disputatores solvunt & refutant hæc argumenta? mendacium est inquirunt: sic victi sumus, scilicet. Quis autem non videt Gesauvitas ad extremas angustias

*stias redactas esse? nec enim certius est desperata victoria  
signum, quam impudenter negare, quod firmis rationibus con-  
firmatum objicitur.*

πρωβολῆς mendacij decimi.

XVI.

Mentitur Mulmannus decimò Traditiones non scriptas non esse immobiles & irreformabiles (lit. B. 3 pag. 1.) mendacium est. Tam enim immobilis est hæc traditio, nusquam in sacris literis scripta; Evangelium Iohannis est Dei Verbum: atq; id, quod in Evangelii istius capite primo scriptum est: In principio erat Verbum: immobile ac irreformabile est. Et, si traditiones Ecclesiæ non scriptæ, non sint immobiles ac irreformabiles; quî potest Mulmannus asserere (lit. A. 2. pag. 2.) traditionem hanc, Evangelium Matthæi esse Matthæi, Catholica fide credendum esse? Saltem meminisset illud: Mendacem oportere sui esse memorem.

ἄντιβολῆς.

XVII.

*Attende ad has quæstiones. 1. An Mulhusinus refutaverit nostram obiectionem de mutabilitate traditionum non-scriptarum? 2. An hæc propositio: Evangelium Iohannis est Verbum Dei, sit traditio nusquam in Sacris literis scripta? 3. An traditio quælibet immobilis constituat articulum Fidei?*

## QVÆSTIO I.

An Mulhusinus refutaverit obiectionem nostram de mutabilitate traditionum nostrarum?

*Sic*

XVIII.

Sic argumentatus eram ex testimonio Tertulliani:  
Regula fidei est immobilis & irreformabilis:  
Sed traditiones non-scripta non sunt immobiles & irre-  
formabiles:

Ergo non sunt Regula fidei.

Minorem probavi, Quia Ecclesia mutavit traditionem  
Concilij Neocesariensis de non contrahendo secundo matrimo-  
nio Can. 7. Concilij Carthaginensis quarti de non legendis Gen-  
tilium libris, & de non suscipienda ab Episcopo rei familiaris  
cura. Can. 16. & 20. Concilij Arausicani de non legendo Ca-  
techumenis Evangelio in Ecclesia. Can. 12. Synodi Nicenae  
secunda de angelorum corporibus. Act. 5. Concilij Lateren-  
sis de Pontificis Romani authoritate supra concilium sess. 11.  
Concilij Carthaginensis tertij de non tolerando summi Sacer-  
dotis titulo. Can. 26. Synodi Elibertine, de picturis in Eccle-  
sia non recipiendis. Can. 36. Qui his exemplis non est conten-  
tus, is plura à nobis expectabit suo tempore.

Vide egre-  
giam αμε-  
ταβλησί-  
αυ Pontifi-  
ciarum  
Traditio-  
num.

XIX.

Quid respondet noster Mulhusinus? respondet ad Mino-  
rem per instantiam: Quia Evangelium Iohannis esse DE I  
verbum, est traditio nusquam scripta immobilis. An hac  
sit traditio non-scripta, paulo post videbimus: nunc exami-  
nanda est obiectionis nostra solutio Moguntina.

XX.

Negat Gesauv vita argumenti mei Minorem, septem ra-  
tionibus sive exemplis comprobata, apparentem adducens  
instantiam unicam, cum Minoris probationem refellere  
potius debuisset. Hoc ne Lossiana quidem Dialectice discipulis  
apud nos permittimus, ut negent Minorem probationibus  
eius concessis vel omisis.

Ratio Ie-  
suitica sol-  
vendi ar-  
gumenta.

B

Nec

XXI.

*Nec est unica illa instantia tanti momenti, ut meam propositionem in ventos dispergere possit. Nam iudicium de propositionis cuiusq; veritate, non sumendum est ex uno sed ex pluribus exemplis.*

XXII.

Mutabile  
non con-  
stituit Nor-  
mam.  
Dilemma.

*Addo & hoc: Si quadam traditiones non-scripta sunt mutabiles, nulla possunt Regulam fidei constituere: quia Regula fidei debet esse omnino vel κατὰ πάντος, immutabilis ac irreformabilis. Si verò nulla dantur mutabiles, restant exempla conciliorum errantium à me citata Mulhusino confutanda: quae praeterijt ideò, ne cogeretur Concilia erroris arguere.*

XXIII.

*Ego verò urgeo: si ista septem Concilia errarunt stat mea propositio adhuc invicta: traditiones non scriptas non esse immutabiles. Sed verum prius: quia Moguntini non audent probationes meas negare. Ergò etiam posterius & per consequens porrigere herbam.*

## QVÆSTIO II.

An Propositio hæc: Evangelium Iohannis est Verbum Dei: sit traditio nusquam in sacris literis scripta?

XXIV.

*Quod hæc propositio cum suis literis & apicibus in sacris literis scripta non sit, facile concedo: quod æquipollentibus verbis ibidem scripta non inveniatur, precise nego. Nonne Iohannes vocat Evangelium suum testimonium verum, cuius finis est fides. Ioh. 19. vers. 35. & 21. vers. 24? Hinc ita argumentor?*

Synony-

XXV.

Synonymorum eadem est authoritas.  
At testimonium verum, & Verbum Dei sunt synonyma.  
Ergo eorum est eadem authoritas, & per consequens, si  
unum fundamento Scriptura nititur, necesse est eodem etiam  
laterum niti.

XXVI.

Minor probatur ex Psal. 18. v. 8. 77. v. 5. 98. 7. & 118.  
Iohan. 8. v. 14. Quinimò Iohannes ipse pro synonymis hac duo  
agnoscit. Apoc. 1. vers. 9. ubi ait se in insula, quæ appellatur  
Pathmos, fuisse, propter Verbum DEI & testimonium Iesu  
Christi.

XXVII.

Est igitur crassus error in Mulhusino, quod propositionem  
hanc: Evangelium Iohannis est Verbum Dei, appellat tradis-  
tionem non scriptam. Nam verbum scriptum est utrumq, &  
quod expressis verbis in Scriptura continetur, & quod inde  
bonæ & evidenti consequentia derivatur: aliàs etiam hæ pro-  
positiones essent traditiones non-scriptæ: tres sunt persona Dei-  
tatis: Pater est ingenitus: Filius est Patri ὁμοούσιος: omnes  
homines infecti sunt peccato originali: Ecclesia est Catholi-  
ca, &c.

Quid pro  
verbo scri-  
pto habend-  
um sit?

XXVIII.

Contrà traditiones non-scriptæ sunt, quarum nec sensus nec  
verba extant in scriptura.

XXIX.

Hinc D. Athanasius in Epist. de Synodis Arimini & Seleu-  
cia: καὶ ἀγράφεις τῆς λαλιᾶς λέξεις, ὅθεν διαφίσει, ἵως εὐσεβῆ τῶ  
διάνοιαν ἔχει. hoc est: nihil refert, si quis voces in scriptura  
non repertas usurpet, quàm diu pias scientias complectitur.

Regula A-  
thanasii.

Ergò & hîc nihil refert, Evangelium Iohannis esse Verbum Dei κατὰ δὲ ἱκανοῦν Scripturæ: sufficit enim Iohannem scribere testimonium verum.

### QVÆSTIO III.

An traditio quælibet immobilis constituat Regulam fidei?

XXX.

Obiectionis Gesauvvitica sensus est hic:  
Quicquid Catholica fide credendum censet Mulmannus, id est immobile.

At Traditionem, Exempli causa, Evangelium Matthæi esse Matthæi: Catholica fide censet Mulmannus credendam. In Anacrifi lit. G. 4. pag. 2. non A. ut citat Iebusita:

Ergò traditio hæc est immobilis.

XXXI.

1. Respondeo: multa miscet noster Nasutulus, ut causam ruinosam & morbidam quodammodo fulcire possit. Primò traditionem illam non sub ratione articuli fidei, sed sub ratione historica testificationis, Catholica fide credendam concessi.

XXXII.

2. Deinde etiamnum concedo, quandam traditionem immobilem esse externo iudicio testificantis Ecclesiæ, non interna certitudine & veritate. Sed talis immobilitas non sufficit ad constituendam regulam fidei, quæ ἀξιόπιστος ἢ αὐτόπιστος esse, sive in se veritatis ac certitudinis causam continere debet. Talem immobilitatem cum Tertulliano, nunquam eorum quæ scripsi immemor, desidero.

XXXIII.

3. Tertio, si maxime una ac altera traditio est immobilis, ta-  
men

men ex hoc particulari inferre non licet τὸ κατὰ δόλον omnem traditionem esse immobilem: Ideoque incertum adhuc relinquitur, quæ traditiones pro Regula fidei sint habendæ: & per consequens nulla possunt esse Regula fidei.

προβολῆς mendacii undecimi.

XXXIV.

Mentitur undecimò (Mulmannus) Ignorare Iesuitarum, quod D. Thomas Aquinas pag. I. q. I. art. 5. scripsit. Theologiam non accipere sua principia ab aliis scientiis, sed immediatè à Deo per revelationem. Et idè non accipere ab aliis scientiis tanquam à superioribus, sed uti eis tanquam inferioribus & ancillis. (lit. C. 2. pag. I.) An Mulmannus D. Thomam inspexerit unquam, nescio, secundum omnes editiones, quas mihi hæcenus videre licuit, ineptè testimonium illud in suâ Anacrisi descripsit, tantum abest, ut quid sibi velit intelligat.

ἀντιβολῆς.

XXXV.

Benè facis mihi Apostata, quod tibi tam egregiè contradicis: si nescis me inspexisse unquam D. Thomam, què scire potes me testimonium ineptè descripsisse? si hoc scis, què illud nescis? nemo enim describere potest testimonium ex aliquo auctore, quem nunquam inspexit. Ergo tu id ipsum scis & nescis: & per consequens iure ad te remitto illud: mendacem oportet esse memorem.

Mulmannus sibi contradicit.

XXXVI.

Què verò probas me testimonium illud ineptè descripsisse? ubi ratio, ubi argumentum? ego nullum verbum Thomæ

B 3

immuto,

immuto, nihil addo, nihil detraho, secuti vos Gesauvite  
ineptè Scripturam citare consuevistis, imò depravare, dilaces-  
rare: ostende ergò quid ineptè descriptum sit. Vsq; adeò voci-  
ferator nihil habet, quod respondeat, præter illud anile: in-  
eptè descripsit, quid velit non intelligit.

XXXVII.

Hoc volo, hoc intelligo mi vir. Tu ita argumentatus fue-  
ras: Mylius & Mulmannus argumentantur in rebus divi-  
nis ex veris, primis, immediatis, qualia Aristoteles in Ana-  
lyticis exigit. Ergò ipsorum Fides & Religio nititur Aristote-  
licis principijs.

XXXVIII.

Respondimus per distinctionem rerum sive principiorum,  
& τὸ τρώεσ τῆς πειδείας: Analytica nec mutat nec gignit  
scientiarum principia, sed eorum generales condiciones  
describit: Ergo Theologia nostra retinet sua principia imme-  
diatè à Deo per revelationem data: qua in re D. Thomas me-  
cum evidentissimis verbis consentit. Iam vides quid velim.  
Cur autem non defendis tuum argumentum: quippe aliud  
tibi agendum erat, ne animadverterent tui discipuli, Patrem  
Mulhusinum, ad Mulmanni refutationem obsurduisse.

ἡροβολῆς mendacij duodecimi.

XXXIX.

Mentitur duodecimò. Moguntinos ea inficiari, cum  
quibus veterum Scholasticorum authoritatem unà re-  
pudiant, & rationem scientiæ à Theologia excludunt.  
(lit. C. 3. pag 2.) sed quænam sunt illa? Nam κατὰ παν-  
τός, καὶ αὐτό, ἢ καδὸλου πρῶτον, in Theologica scientia  
pertractanda, hætenus ignorarunt antiqui Scholastici  
Patres & Concilia.

ἀντιβολῆς.



ἀντιβολί.

XL.

Si ego hoc nudè dixissem, peterem à Reverendo Apostata aliquam (ut ita loquar) veniolam: sed addidi gravissimam probationem, quam si refutaverit explodenda eius dignitas, mendacem me profitebor. Probationis meae verba ipsissima in Pyrrhone meo redivivo sunt haec:

XLI.

Quicumq; conditiones Apodicticas, κατὰ πάντος καὶ αὐτὸ, ἢ καὶ δόλῳ πρῶτον, in disputationibus sacris & divinis repudiat, is inficiatur Theologiam esse scientiam, & gravissimorum Scholasticorum auctoritatem conculcat:

At Moguntini conditiones Apodicticas κατὰ πάντος, &c. repudiant: Ergò.

XLII.

Maior probatur, quia scientia est effectus Demonstrationis iuxta leges κατὰ πάντος, καὶ αὐτὸ, ἢ καὶ δόλῳ πρῶτον instituta. Quicumque autem tollit causam tollit etiam effectum, nempe scientiam ex legibus Apodicticis oriundam. Item effectu posito videlicet scientia necesse est causam esse vel fuisse, videlicet Demonstrationem suis conditionibus armatam. Ut clarius dicam: Omnis scientia est ex necessarijs. Arist. 1. post. Ap. c. 6. Theologia Pontificia (sive Gesauvitica) non est ex necessarijs. Quia necessaria sunt τὰ καὶ αὐτὰ. Ergo Theologia Pontificia non est scientia.

XLIII.

Quid Mulhusinus responderet? mentitur Mulmannus: hocine est informa disputare, ut si argumentum refellere nequeas, dicas saltem, est mendacium?

Nec

An Patres  
ignorarint  
leges Apo-  
dicticas?

XLIV.

*Necte iuvat, quod addis, Scholastici, Patres & Concilia  
hactenus ignorasse apodicticas conditiones, κατὰ πάντος καὶ  
αὐτὸ & καδὸλα πρῶτον: nam has ignorare est ipsam Demons-  
trationem ignorare. Sed saniores Scholastici & Patres non  
ignorant hanc, ergo nec illas.*

XLV.

*Exempli loco repeto D. Thomæ 1. part. S. Theolog. q. 1  
arti. 8. iudicium, & urgeo responsionem: sacra doctrina  
authoritatibus Canonice Scripturæ utitur propriè ex  
necessitate argumentandi. Item Innititur fides nostra  
revelationi Apostolis & Prophetis factæ, qui Canoni-  
cos libros scripserunt: non autem revelationi, si qua  
fuit aliis doctoribus facta.*

XLVI.

*Apparet hinc, 1. Thomam demonstrationem in sacris ag-  
noscere: quia ex necessitate argumentari propriè nihil est  
aliud quàm demonstrare? 2. Pontificis Romani traditiones non  
esse Regulam fidei, partim quia non est Apostolus vel Prophe-  
ta, partim quia non scripsit Canonicos libros. Ergo eius reve-  
lationibus neutiquam innititur nostra fides. Num & hic  
Mulhusine, quid velim non intelligo, aut descripsi verba  
Thomæ ineptè? scilicet.*

*προβολῆς mendacij decimi tertij.*

XLVII.

*Mentitur (Mulmannus) decimotertio, Censores  
Moguntinos, ipsi Ramæam sectam affricare, sic argu-  
mentando:*

*Ramistæ pertrahunt conditiones demonstrativas  
ad omnium artium & scientiarum præceptiones re-  
formandas:*

*Ienen-*

Ienenses pertrahunt easdem ad Theologicas disputationes: Ergò Ienenses sunt Ramistæ.

(lit. D. 2. pag. 1.) Tantum verò abest, Moguntinos sic argumentatos uspiam esse, ut etiam ferulam præmii loco decernant Beano, qui primus paralogismum illum tam elumbem extruxit. Neq; unquam per suasum fuit Moguntinis, Mulmannum esse Ramistam: veri enim Ramistæ sapientiores sunt, & intra prophana literaturæ limites sese continent, Aristotelem, Cicero- nem, Quintilianum, cæterosque Philosophos & O- ratores ad leges suas expendunt. Certè Ramus ipse, primus vocularum istarum κατὰ πάντας, καὶ αὐτὸ ἢ καθό- λως πρῶτον, ostentator, quatuor de religione Christiana libros scripsit, pestilentes illos quidem, & Calviniano veneno plenos, eò tamen dementiæ non venit, ut di- vina Theologicaque decreta per κατὰ πάντας καὶ αὐτὸ & καθόλως πρῶτον examinanda censeret. Vnde totis illis libris ne temel quidem illorum mentio. Aliud igitur est, verè esse Ramistam, aliud Ramistarum simiam seu Phantastam, Illi intra limites consistunt, hi metas transgressi turbant omnia & miscer. Nec quæ de Mulmanno dicimus, continuò ad omnes Ienenses, ut ipse interpretatur, pertinere volumus, neque enim verisimile est universos ipsi esse similes.

ἀντιβολίη.

XLVIII.

*Qualis Ramus fuerit in Theologia, hoc nihil ad me. Quòd autem Apostata Mylium & me pro Ramistis habuerit, testatur proluxa sua digressio in vituperium non simiarum sed ipsius Rami, cum de prophana literaturæ limitibus ne verbu-  
C lum*

lum quidem proferat. Quin imò cum leges Ramisticas expo-  
suisset, concludit de Sacr. liter. interprete fol. 80. §. 10. At-  
que hæc tota illa Ramistarum sapientia est, qua Mulmannus  
& Mylius theses suas adornarunt.

XLIX.

Quod si Mulhusinus maximè distinguat inter Ramistas ve-  
ros & Ramisimias, tamen ineptæ Syllogisationis notam mi-  
nimè effugiet. Expresse enim arguit Ienenses (non dixi o-  
mnes) esse simias Rami: si queris causam, respondet: quia  
leges Apodiecticas ad Theologicas res accommodant, quas Ra-  
mistæ veri tantummodò ad prophanas artes adhibent: Con-  
clude: Ergò Ienenses sunt simiæ Rami: Verè hæ sunt scope  
dissolutæ, quæ si lignæ essent, meritò ex iis ligaretur ferula  
pro beano insulso.

L.

Finis par-  
ticularum  
Apodiecti-  
carum.

Nam nos amplectimur leges non Rami, sed Aristotelis  
sine quibus nulla Demonstratio fieri potest: ita longissimè  
absumus ab omni affectata imitatione Rami, qui conditiones  
Apodiecticas planè in alium quàm demonstrationis usum  
transformat.

Προβολῆς mendacij decimi quartj.

LI.

Mentitur (Mulmannus) decimò quartò, Papistas  
humani cordis deliria, & figmenta sine mandato Dei  
inventæ, æquè ac divina oracula & articulos fidei, Ec-  
clesiæ sibi mancipatæ, impudenter obtrudere: & pro  
veris divini nûminis cultibus venditare. Iustificatio-  
nem ex operibus hypocriticam; Sanctorum cultum I-  
dololatricum, satisfactionem pro delictis vanissimam,  
ieiunij observationem superstitosam vocat, eaque esse  
Sathanæ

Sathanæ excrementa, sordes humani cordis, quas sani Christiani odorari non possunt, vociferatur tantum, nullo verò verbo ex Scriptura probat, secundum legem κατὰ πάντας, vel probare potest, secundum legem καθ' αὐτὰ. Et quid de istis omnibus vel singulis Catholici sentiant, Mulmannum ignorare penitus secundum legem καθόλου πρῶτον, certus sum (vid. lit. D. 2. pag. 2.)

ἀντιβολή.

LII.

*Non entis non est probatio: aut, probatio est affirmantis. Probanda sunt igitur vobis traditiones vestrae ex Scriptura sacra: si negas inde probari posse: ineptè à me id ipsum ut faciam postulas. Sic tamen habeo.*

*Quicquid Scripturae auctoritate & fundamento caret, id est humani cordis delirium idololatricum, vanum, superstitiosum figmentum & ipsius Sathanæ excrementum. Nam Scripturae opponuntur errores & mendacia Diabolica. Matth. 22. vers. 29. Iohann. 8. vers. 44.*

προβολή mendacij decimi quinti.

LIII.

Mentitur decimòquintò Moguntinos non posse ostendere apicem duntaxat, quo Lutherani Patrum commentaria exploserint (lit. E. 3. pag. 1. Nimirum solus Mulmannus in Lutheri Patriarchæ sui colloquiis cōvivialibus hospes est. Hieronymum inquit ille, legere licet propter historiam. Nam de fide & vera religione & doctrinâ ne verbum quidem in ipsius scriptis extat. Originem jam dudum diris devovi. Chrysostrum nullo prorsus loco habeo, non est nisi loquaculus. Basilii nihil valet, totus est monachus, ne pilo quidem

C 2

illum

illum redimerem. Apologia Philippi, omnes Ecclesie  
Doctores exuperat, etiam Augustinum. Bernhardus  
omnes Ecclesie Doctores vincit concionando: sed  
cum disputat, in alium virum mutatur: ibi nimium tri-  
buit precepto & libero arbitrio. Tertullianus inter  
Ecclesie Doctores merus est Carlstadius. Cyprianus  
martyr infirmus est Theologus, videte quales de fide  
tenebræ sint in Patrum scriptis. Nam quando articu-  
lus ille de hominis justificatione, tenebris obductus  
est, fieri omninò nequit, ut maiores errores vitentur.  
Sanctus Hieronymus, scripsit in Mattheum & Episto-  
lam ad Galatas, & ad Titum, sed quàm frigide? Am-  
brosius sex libros super Moyse scripsit sed quàm jeju-  
nos? Augustinus nihil singulare habet de fide. Sed  
ubi Pelagianos oppugnat excitatur & in virum evadit.  
Pulchrè quidem docuerunt illi Patres, sed extralites  
& controversias, nihil potuerunt singulare in apertum  
referre: nec ulla eorum extat in Epistolam vel ad Ro-  
manos, vel ad Galatas expositio, in qua aliquid quod  
pulum & sincerum sit, reperiat &c. hæc nisi fideli-  
ter ex diversis Tituli 57. Lutheri dictis, collecta sint,  
nullam fidem deinceps merear. vin<sup>o</sup> plura? totum Ti-  
tulum perlege & sequentem LVIII. de Scholasticis  
Doctoribus, & eundem Lutherum de capt. Babyl.  
cap. de ordine, de servo arbitrio. Contra Regem An-  
glie & alibi. Philippum lib. de Ecclesia. Ad cap. item  
14. Epistolæ ad Romanos. Omitto hîc alios, ut Io-  
hannem Brentium, in Apologia confession. VVirtemb.  
cap. de invocat. SS. Tilman. Heshusium de servo arbi-  
trio: Schnpfium de Eucharistia &c.

ἄντιβολη,

Ue le-

## LIV.

*Vt lectori de mente nostra constet, libet nostra verba ascribere, quæ sic habent: Ostendite Cretenses apicem duntaxat, quo Patrum commentaria repudiamus. Certè nos de Patrum erroribus, non libris loquimur: hos quoties Scriptura conformes sunt, recipimus: illos simpliciter improbamus. Verum Iesuitis vehementi amore Patrum fortè occæcatis, perinde est si quis errores damnet, ac si commentaria Patrum ipsa explodat.*

## LV.

*Nunc quæ nobis adversarius objicit, judicia quorundam ex Doctõribus nostratibus audienda sunt de Patrum scriptis.*

## QVÆSTIO.

**An Lutherus vel alius ex nostratibus scripta Patrum exploserit?**

## LVI.

*Allegantur multa ex colloquijs mensalibus. Sed respondemus: Lutherus non scripsit αὐτοχρησὶ colloquia mensalia: quare dubium non est, quin multa pro Lutheri verbis vendantur, quæ Lutheri non sunt, sicuti fieri solet, ut quæ solo auditu percipiuntur, multifariam depraventur, antequàm literis consignentur. Quare dubito non immeritò an Lutherus allegata hæc unquam dixerit omnia.*

## LVII.

*Tamen si nonnulla dixit, quod negare nolo, non rejicit Patrum commentaria, sed defectus & errores in ijs taxat, ut quod de religione & doctrina, de servo arbitrio & fide vel parè & frigide, vel omninò nihil scripserint.*

Iudicium  
Lutheri de  
patribus.

LVIII.

Deinde quod *Mulhusinus Lutherum in alijs suorum librorum locis Patrum scripta explodere ait, fraudulenter agit: cur non hic verba ipsa allegat, ut illa ex colloquijs, mensalibus? Dicam tibi: nulla habet qua nostram assercionem refellant: si habet proferat in medium.*

LIX.

Opponit nobis captivitatem *Babylonicam: bene est: ibi Lutherus Patrum commentarijs haud male favet fol. 66. b. T. 2. Vit. lat. de Cypriano dicit: hic unus contra omnes Romanistas satis potens est. Certè hoc non est explodere.*

LX.

Interim fol. 67. *Thomistarum opiniones affirmat nunquam articulos fidei fieri, sive à Papa, sive à Consilio probentur: Nam quod sine Scripturis asseritur, aut revelatione probata opinari licet, credi non est necesse. Num tu Mulhusine concludes. Ergò Lutherus commentaria Patrum explodit?*

LXI.

Abusus  
authorita-  
tis patrū.

Reprehendit Lutherus ibidem *Originem, quod omnia in Allegorias converterit: fol. 72. b. addit: Quid dicemus ad Canonem & auctoritates Patrum? primum respondeo. Si nihil habetur quod dicatur, tutius est omnia negare, quàm missam concedere opus aut sacrificium esse, ne Verbum Christi negemus, fidem simul cum Missa pessundantes. Hic Lutherus auctoritates Canonum & Patrum repudiat non simpliciter, sed quâ Verbum CHRISTI & fidem ever-  
tunt. Si Mulhusinus habet alia nostræ cause magis contra-  
ria, proferat.*

LXII.

In libro de servo arbitrio, ubi Erasmus accusat Lutherum

rum



rum superbia inaudita, quod tot Patres, tot seculorum con-  
temserit, qui liberam arbitrium asseruerint, respondet  
Reverendus Pater: eos verius nihil prorsus de libero ar-  
bitrio definiisse. Tom. 2. Vit lat. fol. 434. Mox subjungit: Sic  
contingit imprudentibus, vel malignis lectoribus librorum  
dum ea, quae sunt infirmitatis in Patribus & sanctis, fa-  
ciunt omnia esse summae auctoritatis, ut culpa ista non sit  
authorum sed lectorum. Quid citari poterat ex Luthe-  
ro evidentius ad distinguendos Patrum errores ab eorun-  
dem libris? tamen Moguntinus affingit ipsi contrariam  
sententiam, quam posco mihi ob oculos poni.

LXIII.

Id ipsum repetit Lutherus in libro contra Regem An-  
gliae T. 2. Vit fol. 339. Neque ego vel usum vel autho-  
ritatem hominum in totum negavi, libera esse volo & in-  
differentia quaeunque extra Scripturas sacras scripta sunt.  
Tantum articulos fidei necessarios fieri recusato ex hominum  
verbis, tolerari volo, quae bene dicuntur, & geruntur citra  
Scripturae testimonium, tolerari autem liberè.

Quousq;  
authorita-  
tes homi-  
num tole-  
rari debe-  
ant?

LXIV.

Quod Mulhusinus praeterea ad Philippi librum de  
Ecclesia provocat, in eo prorsus fronte & mente caret:  
Nam Philippus serietenus taxat & monstrat Patrum er-  
rores, quos si Pontificius taxari non vult, habeat per  
nos licet pro Canonica veritate. Quae porro ex Brenz-  
tio, Heshusio, Schnepfio &c. nobis contraria habere se glo-  
riatur vesanus Thraso, de iis apicem saltem nobis o-  
stendi postulamus: haec enim parum fidei meritum  
est.

An Philip-  
pus patrū  
scripta ex-  
plodat?

προβολή

προβολὴ mendacii decimi sexti.

LXV.

Mentitur decimo sexto (Mulmannus) turpissimè  
se Iesuitas argumentari:

Quicquid per ἀναδίπλωσιν de subiecto prædicatur,  
id subiecto vel ἑσιώδης vel ἐπ᾽ ἑσιώδης est, & cum causa  
adæquata convertitur.

Sed in his propositionibus prædicantur multa de  
subiecto per ἀναδίπλωσιν, nimirum: Christus est con-  
ceptus de Spiritu sancto; ex Maria natus, passus, cru-  
cifixus, mortuus, sepultus, descendit ad inferos, qua-  
tenus homo.

Ergò hæc prædicata sunt ἑσιώδης vel ἐπ᾽ ἑσιώδης huma-  
næ naturæ, & cum adæquata causa ita convertuntur,  
ut quicumque homo est, idem sit etiam de Spiritu san-  
cto conceptus, ex Maria natus &c.

ἀντιβολή.

LXVI.

*Mox sui oblitus, agnoscit Mulhusinus, Moguntinos hac  
ipsa forma argumentandi usos esse, cum inquit: Hic ego te,  
Lector, nunc iudicem constituo, rogoq; cum ex me-  
ra ignorantia Logices, ἀναδίπλωσιν illam (quatenus)  
ita prædicatum subiecto connectere dicat Mulman-  
nus in thesibus suis, ut extra illud nunquam reperiat,ur,  
proindeque illi ἑσιώδης vel ἐπ᾽ ἑσιώδης sit: rogo, inquam,  
num ex suppositione incredibilis illius inscientiæ, non  
rectè sic argumententur Moguntini?*

Quicquid de aliquo homine, sive Pontifex sive  
sanctus sit &c. cum hac reduplicatione (quatenus ho-  
mo est)

mo est) dicitur; est illi ὁμοίωδες vel ἑπαιτώδες, proinde  
que omni homini convenit: ut expressè dicit Mul-  
mannus.

Sed de Christo homine (quatenus homo est) dici-  
tur, quod ex Spiritu sancto sit conceptus, ex Maria  
Virgine natus, sub Pontio Pilato passus, crucifixus,  
mortuus & sepultus, descenderitque ad inferos.

Ergo &c.

LXVII.

De inscitia quam mihi obijcit, mox videbimus. Nunc tan-  
tummodò cogitent sana mente præditi, quæ fieri possit, ut Mule-  
mannus mentitus sit, recitando id ipsum argumentum in quo  
Moguntini se rectè argumentatos esse ultrò fatentur.

LXVIII.

Sed dicunt: Mulmannus non tendit cum Iesuitis πρὸς αὐτὸ.  
Nam hi accipiunt particulas reduplicantes specificativè, quas  
ille accipit reduplicativè, de causa suo effectui adæquata.

LXIX.

Hoc disputatorem Mulhusine non excusat, ut ad hoc vel  
illud πρὸς αὐτὸ, aspiret: hic enim rectè sentit qui tendit πρὸς  
αὐτὸ τὸ ζητούμενον, de quo principalis est quæstio, alter qui ab  
eo deflectit, & πρὸς ἀλλότριον aliquod aberrat, merito dicitur  
τῆς δόξης ἀμαρτάνειν, vel extra viam currere.

Quid sit  
τὸ αὐτὸ,  
Disputato-  
ri spectan-  
dum.

LXX.

Nunc utra partium disputantium πρὸς τὸ αὐτὸ τὸ ζητούμενον,  
sive quod in controversia positum est, tendat, dispiciendum est  
& demonstrandum non aliundè nisi ex Colloquio Ratisbo-  
nensi. Nam quomodo in eo Iesuita suum Pontificem errare di-  
xerint, queritur maximè.

LXXI.

Certè non disceptatum ibi fuit de specie errantis: quando-  
quidem nostri Theologi parum solliciti fuerunt, ut etiamnum  
sumus, an Pontifex vester sit homo sive asinus, sive lupus, sive  
Eiabolus, cum errat. Scimus enim accidentibus non tolli essen-

D

tiam

tiam sive substantiam rei, nisi metaphoricè, ut cum per errores Pontificios ex homine fit *vipera vel Diabolus*.

LXXII.

Scopus Disputationis.

Gesauvitæ currunt extra viâ.

Sed quæsitum fuit de prima causa, de ipso fonte & scaturigine errorum, unde isti promanent primitus, num ex ipsa natura & specifica ratione hominis, an verò ex transgressione Verbi divini? *πρὸς τὸ αὐτὸ τὸτο*, quia fatentur Moguntini, Pontificios non tendere, etiam lippi & tonsores intelligunt, Iesuitas extra oleas & disputationis metas evagari, id quod proprium est Sophistarum, & *τῶν ἀερόβατ ἑντων*, quorum tela nobis non magis nocent quàm aëri.

LXXIII.

Certè si ego cum ipsis non tendo *πρὸς αὐτὸ*, ea de causa vituperandi erant Pontificij collocutores Ratisbonæ maxime, qui *πρὸς τὸ αὐτὸ*, à Theologis nostris propositum minime responderunt. Atque ita exorbitationis culpam unà cum sannis in fidei Christianæ articulos effusis, ad suos autores remitto.

LXXIV.

Obiectio.

Manifestum est etiam ex hac responsione, quid virium aut nervorum istud Gesauviticum argumentum habeat: Si verum est, dicit Mulhausen, quod Mulmannus contendit, hominem scilicet (quatenus homo est) opus Dei *ἀμείαντον & ἀναμάστητον* esse: Ergò omne opus Dei *ἀμείαντον & ἀναμάστητον*, erit homo, ex lege *καθ' αὐτὸ*: quia conditio Apodictica reddidit propositionem convertibilem & universalem, ut dicit Mulmannus: Ergò & Angeli homines erunt: Sed quis hoc feret? vide quò deveniant amentia, qui nec Ramum intelligunt, nec aliorum Philosophorum decreta norunt, & tamen tam audacter se in Theologorum disputationes ingerunt.

LXXV.

Respōdec. *κατ' αὐθόμολο-δμενον.*

Hui captus est Mulmannus uno verbo quàm citò! Imò captus est Gesauvita suo ipsius verbo. Si enim ut nuper ingenuè confessus est, cum Pontificiis non tendo *πρὸς αὐτὸ*, nec concludere

cludere potest quod sibi videtur: quia τὸ (quatenus) πρὸς ἄλλο  
ἢ ἄλλο referimus, ut apparet ex hac thesi nostra 78. De Demon-  
stratione Theologica, quae sic habet.

LXXVI.

Atque ut ἀποδείκνυσθαι ἀγανίς, quæstio est, quo respectu  
Sancti in hac vita adhuc militantes errent? Respondent Iesui-  
tæ, quatenus sunt homines. Ego medius fidius non existimo.  
Nam quatenus sunt homines, sunt opus Dei ἀμείαντων ἢ ἀνα-  
μάστητων. Quare sanctis, ut hominibus, peccatum vendicari nō  
potest, nisi sanctissimum Deum in crimen trahere velimus.

LXXVII.

Iam audi visti modò ab ipso Moguntino: Pontificios particu-  
lar duplicantem (quatenus) accepisse specificativè sive absolute:  
hunc errorem quem in ipso Colloquio non obscure observabam,  
infregi ego per absurdum consequens hoc modo: Si Sancti ut  
homines errant, errant ut opus Dei. Ratio. Quia Sancti, specificativè  
accepti pro hominibus sunt opus Dei. Neq; necesse est in eius-  
modi acceptance propositionem pati reciprocationem. Ergò non  
responderunt Pontificii ad quæstionem propositam, quæ erat de  
causa proxima non de specie errantium.

LXXVIII.

Multò verò minus sancti ut homines errare dici possunt in  
quæstione causali: rationes in thesibus sequentibus obstant gra-  
vissimæ. Quia cū proxima causa reddat propositionem conver-  
tibilem, futurum est, ut qui homo est, illicò etiam peccator sit,  
sive ante lapsum, sive in æterna vita: & qui homo non sit, nec  
peccator esse possit, ut Sathanas.

LXXIX.

Quare cum scripsi, sanctos ut homines esse opus Dei ἀμείαντων  
ἢ ἀναμάστητων: non feci hoc in thesi, ut tali exemplo astruerem  
meam sententiam de Propositionibus Apodicticis secundum le-  
gem sive conditionem ἢ αὐτὸ: sed feci in ἀντιδίσει ut refutare  
& rejicerem vocis duplicantis specificationem, tanquam planè

D

inutilem

2. κατ' ἐ-  
τεροζήτη-  
σιν

3. Per di-  
stinctionē  
nē δίσει-  
ως ἢ ἀντι-  
δίσειως.

inutilem & alienam à demonstrationis negocio. Aliud est enim demonstrare rem ex suis principiis, aliud est rem dūtaxat specificare. Ut cum dico, homo ut corpore praeditus moritur, non ut anima.

LXXX.

Quomodo  
fani ut ho-  
mines er-  
rare dici  
possint sa-  
no sensu.

Notandū tamen est, quod in figurata locutione per Metonymiam subiecti pro adjuncto, multi Patres & Theologi ad quaestionem causalem, cur sancti interdum peccent respondere solent, quia homines sunt, intelligentes non ipsam speciem vel creaturam Dei peccati causam esse, sed ἀνομιαν in homine haerentem, sive inclinationem & propensionem ad res Verbo Dei prohibitas. At inter nos & Pontificios quaestio est, de causa peccati proxima & in proprio sensu dicta, ne adversarijs aliquam exercenda Sophistica occasionem & praetextum relinquamus

LXXXI.

Tandem restat Mulhusine, ut cum tuis Cadmaeis fratribus nobis veram, proximam & immediatam causam errorum definias: quam ego definiui, esse qualemcunque defectionem à Verbo DEI revelato: tu haecenus nihil ad quaestionem respondisti, nisi quod iusti ut homines sive in specificativo sensu errent: Suntne igitur homines in specificativo sensu proxima causa peccati & erroris? hoc affirma vel nega: aut videberis omnibus recte sentientibus inania effugia quaesivisse.

Finis disputationis quintae.



05 A 568

ULB Halle  
004 209 923

3



Sb

1077







Inches

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



*Disputatio AntiGesauvuitica*  
*quinta*

# DE VERBO DEI SCRIPTO.

*Contra mendaciorum Mulmanni-*  
*corum speculum, à Iohanne Mulhusino*  
*D. Apostata, fabrica-*  
*tum:*

PRAESIDE

M. IOHANNES MULMANN,  
NO S.S. Theologiae Professore  
& ad D. Nic. Archidia-  
cono Lips.

RESPONDENTE

M. IOHANNES FECHNERO  
Glogov. Silesio.

WITTEBERGAE

Excudebat Iohan. Schmidt, Sumptibus Cle-  
mentis Bergeri Bibliop. Anno 1608.



5